



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ  
Recentiores**

**Hay, John**

**Antverpiae, 1605**

Collegium Manilanum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

nonum ætatis annum pater ille agebat. In Societate autem vixit annis quindecim. Eadem ætate erat frater eius comes, qui septem annis in Societate vixerat, & in his partibus eam ingressus fuerat, vir cum omni virtute tum verò obedientia singulari, cui semper valde fuerat addictus, præstans. Obiit quoque è fratribus Martinus Sancez ex his Philippinis oriundus, postquam decennium in Societate præclaro in vita & morte selecto exemplo posuisset. Restant in hac viceprovincia Sacerdotes triginta, fratres viginti-novem, è quibus duo sunt scholastici, quatuor novitii, annumeratis nouem illis, quos cum P. Gregorio Lopez P. V. huc misit, quibus huic viceprovincia magnum certè præsidium accessit, quæ ut tempore posterior est, & ab operariis sterilior, longiusq; Roma abest, ita etiam pauperior, & velut filia minor P. V. debet esse carior & commendatior.

## COLLEGIUM MANILANVM.

**D**Egunt in hoc Collegio (quod primarium est in hac viceprovincia) sedecim è nostris, nempe seni sacerdotes & deni fratres. Omnes, diuino fauente numine, suo exemplo & labore fructum vberimum ex huius ciuitatis spiritali cultura retulere. Quem adauxit occasio belli & terræmotus, iacturaq; nauium, atque aliæ calamitates; experientiaque didicimus, pietatem citius inter aduersos quàm prosperos successus efflorescere. Quo minùs in structura Collegii perficienda progredi audeamus, fecit terræmotus. cogimur enim iam collapsa vel in ruinam procliuia priùs reparare. Superiore anno scripsimus, ad vigesimum primum Iunii diem corruisse præcipuam partem nauis templi, hoc verò anno 1601, ad decimum sextum diem Ianuarii alio terræmotu disturbata est altera pars ei respondens, cæteræque ita conuassatæ sunt, ut necesse fuerit omnia solo æquare. Magni beneficii loco duximus, ruinas has nullo cuiusquam damno contigisse, cum tamen alter terræmotus incidit, cum populus in templo sacro Missæ interesset, alter verò, quando minimè expectabatur. Commonefacti ergo Manilani à nostris de periculo quotidiano vitæ in terra, mentem erigere cœperunt in cælum, indeque patrocinium & tutelam postulare, felicique sorte eis obrigit patronus & aduocatus S. Polycarpus Episcopus & Martyr, S. Ioannis Euangelistæ discipulus. In cuius honorem festum cum solenni processione, quotannis repetendū, celebrare cœperunt.

Initium

Initium quoque hoc anno factum est alterius cuiusdam pii & religiosi operis cum insigni fructu, ut quod non solum per Quadragesimam tribus diebus, (sed enim perpetuo fuit vitarum), verum etiam singulis diebus Veneris toto anno in Ecclesia nostra disperberationes corporum vsurpentur. Maximus id temporis hominum est concursus ad audiendum Psalmum quinquagesimum Miserere, cuius lugubri concentu plurimum ad deuotionem & pœnitentiam agendam permouentur. Nec raro interfuere auditores regii, ac gubernator ipse cum aliis viris primariis.

Incarcerati quoque exhortationibus piis & confessionum sacramentalium exceptione adiuti sunt, & quod populum non parum ædificauit, commeatus necessarius per aliquot dies etiam nostris humeris vsque ad carceres deportatus est. Pueris item doctrinæ Christianæ pabulum Dominicis diebus subtractum non est. cum quibus tempore Quadragesimæ processio- nis forma dispositis ad excubias prodimus militares, sermonibusque ad eas factis fructum colligimus minime pœnitendum.

Congregatio Scholasticorum hoc anno inchoata progressus habet optimos. Quoque mense, conuenienter regulis, omnes exomologesin peccatorum Sacerdoti faciunt, & diuinæ mensæ accumbunt. Festis diebus pomeridianum tempus audienda lectione spirituali & commemorandis exemplis Sanctorum impendunt. Beatissimæ Virginis solennes ferias maxima religione & lætitia peragunt. In quadam abiectis palliis, cum polubro & gutturnio argenteo in manibus deportarunt cibum ad carceres, ordine & ritu pulcherrimo, magnaque promptitudine & submissione animi miseris hominibus inseruierunt. Modum procedendi in omnibus putantur sumpsisse ex congregatione Romana. Priuilegia autem Sodalitatis tam multo secularis homines allexerunt, ut necesse fuerit eam in duos ordines diuidere.

Pro viris itaque adultis & ciuibus, qui Dominicos Festosque dies optarunt in sodalitate fructuose expendere, principium fecit P. Visitator, habitis ad eos familiaribus exhortationibus & narrationibus piorum exemplorum è vita Sanctorum depromptis, planeque speramus rem ad maiorem gloriam Dei cum eximio ciuitatis fructu processuram. Nec iam desunt, qui vna alterave exhortatione audita, sanctiores salubrioresque, quam antè instituerant, viuendi rationes inierint.

Initium quoque hoc anno factum est sorte deligendi nomen alicuius Sancti, ut nonnullæ ciuitates in morem induxerunt, & ingens exitit populi concursus. Quidam in mare cum multis aliis, dum pugna cum Hollandis supra nominatis committeretur, dilapsus erat: sed quia nomen S. Nicanoris patroni, qui mense illo sortitione obtigerat, inuocauit, summo illo discrimine, quo ceteri absorpti fuere, ereptus est, & ad leuæ inuicem spatium natando cum summa sua admiratione tandem ad litus delatus.

Confitentium communicantiumque numerus hoc anno superiores omnes superauit, deuotioni enim veteri nouæ per calamitates faces subiectæ sunt, litæque multorum inter se conciliatæ. In quadragesima autem maximè pietatis omnis studia exarsere in patefaciendis creberrimè noxis, iisdemque per uerba quotidiana aliaque deuotionis exercitia expiandis.

A sceleratis pudicitia cuiusdam feminae nunc precibus non donorum largitione appetita fuerat, sed confessionis communionisque crebrioris armis communita omnem vim hostilem depulit. Sed non hic acquieuit hostis. Quodam die post sacram Synaxim, in Ecclesia nostra religiose sumptam, eandem in loco solitario aggreditur, & pugione in pectus eius defixo, necem comminatus est, nisi in scelus consentiret. at illa constanter respondit, se malle morte occumbere, quam Deum offendere. Denique contumeliis pugnisque malè excepta sua castitate beluinum aduersarii affectum expugnauit.

Alius, cogitatione omni de Deo saluteque sua exclusa, multos annos in grauius sceleribus exegerat, speciatim uero in infami quadam cupiditate ita cordis uisceribus infixæ & firmatæ, ut Patrem nostrum eum abducere à tam fœda consuetudine conantem tantum non pro fatuo habuerit. sic enim erat sordibus perturbationum illarum animi inuolutus, ut instar suis uolutabro immersæ, nulla alia in re uoluptatem querere uideretur. Et tandem homo obstinatus rationibus & argumentis cessit, nec solum à uisendo scorto se abstinuit, uerum etiam omnem libidinem ita radicitus ex animo euulsit, ac si nullam unquam eius notitiam habuisset. Confessione enim generali de anteactæ uitæ lapsibus facta, sic mores correxit suos, ut omnes, qui eum antè cognorant, de subita illa uitæ mutatione non parum obstupescerent.

Cum pyratae Hollandici, de quibus supra, in urbe Manilana iudicum sententia morti addicti essent, uisum est gubernatori,

cos

eos variis religiosis commendare, si fortè eiuratis erroribus Ecclesie sanctæ restitui possent. Et placuit diuinæ bonitati, omnes, qui erant numero tredecim, restituere, vnum excipio Præfectum Admirantem, qui, vti pertinax hæreticus, strangulatus est & in mare præcipitatus. Cæteri cum tanto criminum dolore S. Ecclesie Romanæ obedientiæ se subjecerunt, vt Patribus religiosi visum sit, eis porrigendam quoque sacram Eucharistiam. De quinque nostræ Societati commendatis affirmare possum, eos magnæ ædificationi omnibus extitisse: nam & confessionem de totius vitæ peccatis & sacram Synaxim cum multis lacrymis obierunt, atque ante illam publicè fidei Catholice Romanæ professionem eiuratis hæresibus ediderunt, parati in dicta fide viuere & mori. Post biduum denique rosariis ad collū appensis magna animi lætitia, quod morte sua possent expiare delicta, ad supplicii locum processerunt.

Non minor est occupatio nostrorum his in locis cum Indis, atque cum aliis, tum quia eorum maior ad hanc Manilanam urbem, quàm alibi, concursus est, tum quia ardentiore affectu Societatis homines complectuntur. Nunquam ex iis desiderantur qui operam dare confessioni velint, senisque Sacerdotibus, si tot idiomatis gpari forent, ad omnes audiendos per totum annum opus foret. Sacram communionem magnopere affectant, & singularem ex ea fructum reportant. Omni hebdomade feria sexta plurimi aduolant, vt cum reliquis disciplinam faciant, pluresque venirent, si portæ ciuitatis quæ Indos dirimunt ab Hispanis sub noctis crepusculum non ocluderentur. Certè quamplurimi non verentur etiam per angustum portarum foramen irrepere, ne salutarem illam pœnitentiam negligant. Sabbatho quoque accurrunt ad audiendum sacrum Missæ de beata Virgine, & Quadragesimæ diebus ad audiendum concionem, idque tanto numero, vt Ecclesiam nostram cæteroquin satis capaceam totam compleant. Quando autem terræ motu subuersa est, magno studio vsque ad puerulos ipsos conuolarunt, vt operam suam exportandis lapidibus conferre possent. Iucundum erat spectaculum contueri illos formicarum instar inter rudera & parietem oberrantes, calceque & puluere feminas æque ac viros, iuuenes & senes resperfos, dum sportis in humeros sublatis ruinas certatim ad expurgandam planitiem efferrent.

Sodalitas Parthenia, recens inducta inter indigenas, omnes alias mirificè accendit. Aliquoties epulum præbuere pauperibus  
tanta

ranta liberalitate, ut multa superfuerint pro incarceratis & aliis egentibus. Post prandium peractum pauperum manibus aqua lacticem affundebant, easque exosculabantur, ac denique pauperes ipsi nixi genibus Deum pro suis benefactoribus precabatur. Alii iidem Indi Sodales se contulerunt ad Xenodochium Indorum, ibique agris operam suam, componendis lectis & solo euerrendo, contulerunt; quod admiratione dignum est in hac gente, quæ abhorret à visitatione Nosodochiorum. Sodales, quantumvis pauperes, tamen ordinarias elemosynas Ecclesiæ præstant & egenis. Addicti sunt orationi & ieiuniis, totas hebdomadas solo pane & aqua contenti. Recipiunt se libenter in ædes nostras faciendæ confessionis vel commentationis spiritualis instituendæ causa, cum magno ipsorum fructu & ædificatione spirituali.

Christiana quædam femina in seruitutem infidelium iam dudum redacta in Insulis Mindanao & Burnei, Mahumeranæ sectæ deditis, nunquam a fide vera diuelli potuit, vel ad cultum idolorum induci, licet multa eorum loca peragrarit.

Indus quidam, cum aliis nonnullis, de peccatis confessus, ut sacram communionem percipere posset, affirmat se, quod peccatorum quorundam circumstantias reticuisset, per visum conspexisse eleganti specie puerulum, sibi quidem porrigentem sacram Eucharistiam; sed cum ipse responderet, se esse magnum peccatorem, puerulum subjunxisse, verum est te communionem dignum non esse, quia in confessione tua talem & talem circumstantiam cælesti. Quare cuiusdam ad ædes nostras concessit, vniq; Patrum visum patefecit, ac iterare confessionem postulauit.

Alius sic assuefactus erat corporis diuerberationi, ut cum die quodam iter faciendum esset cum certo agmine militum, nocturnis horis ab eo se abstraxerit, ne sanctum hoc exercitium prætermitteret. Id cum peditum dux nocte obiens vigilas clam animaduertisset, arbitratus eum mali aliquid meditari, silentio insectus est, ac tandem vidit eum subire cuiusdam Ecclesiæ camerarium, fusiq; ad Deum flexo utroque poplite orationibus in suum tergum acriter desæuire. Finita diuerberatione propius accessit, & cernens esse Indum, multo amplius ædificatus est. Cumque ab eo percontaretur, unde oriundus esset, respondit ex vico Manilano, seque solitum confiteri nostris. Miratus Capitaneus tyronem in Christiana religione tantam suæ salutis gerere curam, pecunia donatum ad suos redire iussit, ne consuetudine militum peruerteretur.

Sacerdos quidam fratre comite quasi in missionem ad villas quasdam

quasdam Scilanas amandatus est, quæ parochis destitutæ institutione indigebant. Cumque eò concessissent grassante peste, illos non solum Sacramentorum confessionis, & sacre Synaxeos, sed etiam victus, qui in ædibus nostris parabatur, administratione liberaliter iuuerunt.

In alia missione, à Collegii Rectore altetoque Sacerdote instituta, ingens constitit laboris fructus in confessionibus audendis, in sopiendis dissidentium controuersis, in reuocandis ad meliorem vitam peruersis. Baptismi sacramento initiati viginti quinque adulti, à cæco quodam doctrina Christiana imbuti. Is licet oculorum vsu destitutus, tantam tamen gerit Catechumenorum curam, ut si vel vnus è numero quantumuis magno desit, certior reddat continuò Patrem. Quod hoc pluri facimus, quo is, qui quondam numeratus est inter Catalanos, hoc est, idolorum sacrificulos, nunc post conuersionem factus sit Christianæ disciplinæ institutor.

## RESIDENTIA ANTIPOLANA.

**I**N hæc ordinariè versati sunt terni sacerdotes, in messe trium millium Christianorum. Baptizarunt hoc anno plusquàm quingentos. Experti sumus in hac gente religionem magnam & raram pietatis sensum in frequentandis sacramentis, obeundis supplicationibus, & disciplinis vsurpandis, aliisque operibus bonis exercendis, ac denique in omnibus magna facta est morum commutatio.

P. Visitator fundamenta jecit domus hospitalis, quæ magni est momenti. Quo die ad fastigium perducta est, post sacrum solemne & concionem, P. Visitator primus cepit inseruire pauperibus ibidem congregatis, aquam manibus eorum affundendo, easque flexis genibus osculando, quod exemplum viti primarii, qui præstò erant, omnes sunt secuti. Vnde in morem inductum est, ut in dies singulos quatuor Confraternitatis ad huiusmodi opera pietatis instituta Sodales eis victum apponant. Atque idem faciunt mulieres cum sui sexus infirmis.

Initia quoque data sunt Seminario puerorum, in quo in omni virtute bonisque moribus à prima ætatula educuntur, secundùm leges Christianas, eorum capacitati consentaneas. Quæ res non solum necessaria est ad capeffendam veram doctrinam, & corrigendos Indorum mores, sed etiam facilis & suavis. Sustainantur omnes oriza à parentibus subministrata, aliisque eleemosynis.